

Q. D. B. V.

VITA POST VITAM

h. e.

MERITA ET HONORIFICA

CONSULUM
MEMORIA,

Qui

REIP. ZITTAVIENSI

OLIM UTILES

NUNC

REVIVISCERE VIDENTUR

IN

F I L I I S

DIGNITATE

CONSULARI, PRÆTORIA, SENATORIA,

HODIE CONSPICUIS;

DESTINATA

GRATULATIONI SCHOLASTICÆ

ad

NOVUM CONSULEM

&

SCHOLARCHAM

d. XVI. Septembr. M DC LXXXII.

â

CHRISTIANO WEISIO GYMN. RECT.



ZITTAVIÆ, Typis Michaelis Hartmanni.

78.



Singulare Pietatis exemplum in Adriano Imperatore miratur Spartianus. Cum enim adoptatus à Trajano moriente, Patris honorem & cultum huic Benefactori deberet; ac is interim inceptas à Parente victorias suâ Virtute consummasset, ut Senatus suffragio dignus judicaretur triumpho: recusavit ipse, ac imaginem Trajani Curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphum amitteret dignitatem. Sanè Imperatoriam hanc laudem ut suam faciant Principes, non repugno. Interim quicumque ad aliquem Magistratus gradum sunt evedti, latentem in istâ narratione Virtutem cur minus occupare vel imitari debeant, non video. Cum præsertim in Alma nostrâ ZITAVIA non unius tantum Personæ, sed multorum nunc elucescant merita, qui non sibi, non Posteris, quin potius celebratissimis olim Parentibus, Famam & Triumphum acquirunt. Etenim ex quo res mundanas deseruerunt, qui Consularem dignitatem superioribus annis gessisse vel sciuntur vel memorantur; non exigua Filiorum Pars, Paternis his Virtutibus provocata, variam in Ordine Senatorio dignitatem obtinuit, ac hodiernum satis feliciter defendit. Ipsi Triumphis & honore digni, vivere tamen videntur in eorum gloriam, quibus vitam & educationem debent. Quamobrem cum nupera CONSULARIS REGIMINIS Renovatio Consuetudine velut in Legem digressa, nostram quoque GYMNASII Congratulationem requirat; commodissimam huic Solemnitati materiam fore credidimus, si quos Parentes Filii novis meritis faciunt immortales, nostra etiam Juventus, suis declamationibus ornatos,

natos, Posteritati sensim commendaret. Quod igitur singulis Patronis, Fautoribus & Amicis gratum sit, acceptum & probatum, Mensis hujus dies sextus & decimus placuit, cujus horas meridianas negotio tam sancto consecraret nostra sedulitas. Neque desperandum de honorifico Virorum præstantissimorum accessu, cum, si vel absit verborum elegantia, ipsa **CONSULUM** memoria ob solam historiæ svavitatem Audientis gratiam mereri queat. Rogamus tamen singulos, nolint, quod ubique deprædicatione dignum habetur, in umbratili Musarum habitaculo contemnere. Impræsentiarum placebit compendiosa brevitatis: olim, quod **DEUS** largiatur, respondere conabitur officiorum & servitiorum decens promptitudo. Cæterum ne nesciantur merces, quas exponimus, legatur

ORDO EXERCITII.

PROLOGI vices suscipiet, Carmine usus Heroico

Gottfried Gremfier / Zitt.

Inde

JOHANNES CHRISTIANUS BUFIUS, Zitt.

Versâ ad Nobiliss. **JENTSCHUUM** Regentem nunc Consulem & Scholarcham Oratione partim gratulabitur, partim recolet memoriam Consulis **BURCHARDI**, cujus Proneptem habet in matrimonio.

Porro

JOHANNES CHRISTIANUS WOLFF / Zitt.

Laudabit Dn. **ADAMUM GIRISIUM** olim Consulem, cujus nuper **FILIUS** à Consulari Regimine discessit.

Seqvetur

JOHANNES CHRISTIANUS RODOCHSIUS, Zitt.

Qui occupabitur in recordatione Dn. **PHILIPPI STOLLII** quondam Consulis, cujus **FILIUM** hætenus agnovimus Prætorem Regentem. Per

Perget

HENRICUS Gottlob Winkler / *Zitt.*

Dicturus de DN. JOH. NESENO annis abhinc
multis Consule, cum vivum ejus Filium habeamus
Prætozem.

Succedet

ANDREAS Herffahrt / *Zitt.*

Suis laudibus deposcens DN. CHRISTIANUM
ab *Startig* / nuper adhuc Consulem, qui tamen
discedens reliquit FILIUM brevi Prætozem Re-
gentem.

Post hunc

JOHANNES Gottfried Paul / *Zitt.*

Sermonem deflectet ad DN. GOTFRIDUM KA-
PSIUM Parentum memoriâ Consulem, qui nunc re-
viviscit in FILIO Judiciorum Assessore & Protono-
tario.

Tandem

FEREMIAS Paul / *Zitt.*

Justa exsolvet DN. CHRISTIANO JUSTO Ka-
psiano in hac dignitate Successori, cujus itidem FI-
LIUS hodie versatur inter Senatozes Primarios.

Brevem EPILOGUM versibus Elegiacis conce-
ptum subjunget

JOHANNES Friedrich Meier / *Zitt.*

Ultimo singulis ex ORDINE SENATORIO
nominatim bona verba balbutiente & puerili lingvâ
conabitur acclamare

JOHAN. ELIAS Weise / *Weissenfelsa-Zitt.*

Faxit, DEUS ut optatis respondeat Eventus, ac
in Gymnasium â tot Parentibus amatum derivetur
constans Filiorum benignitas.

